

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Iesvs Christvs Filivs Dei

Commentatio Theologica Qva Sacra Natalitia Iesv Christi Pie Celebranda
Indicit Academia Ienensis

Hohe Schule Jena Hohe Schule Jena


Ienae, 1776

urn:nbn:de:gbv:45:1-9680

45
IESVS CHRISTVS FILIVS DEI
COMMENTATIO THEOLOGICA
QVA
SACRA NATALITIA
IESV CHRISTI
PIE CELEBRANDA
INDICIT
ACADEMIA IENENSIS



IENAE
EX OFFICINA FICKELSCHERRIA
MDCCLXXVI.



DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS THV-
RINGIAE, MARCHIO MISNIAE, COMES PRINCIPIS
DIGNITATE HENNEBERGAE, COMES MARCAE ET
RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVEN-
STEINII, REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS



CHRISTI hominis inter homines ortum cogitatione ad
pietatem christianam recte apposita si complecti veli-
mus, iuvat nos, CIVES, non haerere defixis oculis in
hac sola natalium eius humilitate, sed dum eam spe-
ctamus, respicere simul *et* ad muneris nobis saluber-
rimi rationem, cui exequendo eam sortem suscepit Dominus no-
ster, *et* ad diuinam personae excellentiam, qua nixus ipse tanto
operi maxime par erat. Viriusque huius capitis praeclare admone-
ri videmur vno illo *filii Dei* nomine, quod narrant scriptores sacri,
seruatorem nostrum saepius sibi, dum in terris viueret, tribuisse,
et suo dehinc sermone ipsi in eum quam plurimis locis conferunt.
Enimvero etsi diuinae paginae eam appellationem numero multi-
tudinis hinc illinc ad angelos, imperantes *et* magistratus, homines-
que pietate sua Deo gratos accommodent, *et* integra Israëuitarum
gens

— — — — —

gens in veteri Instrumento haud raro eiusdem 'elogii honore afficiatur, constat tamen satis, hoc tali usu nunquam conclusam etiam Iesu, Domini nostri, mentionem, vel significationem apparere. Immo quando is non solum simpliciter, sed additis etiam epithetis filius Dei *unicus* (*μονογενής*), *proprius* (*ιδίος*), quodque huic significatione simillimum est, *dilectus* (*ἀγαπητός*) vocatur, manifesto id sit indicio, quo ipsi sensu haec appellatio iusta sit, eo eandem in nullum alium conuenire. Sed haec fere generalia sunt, de quibus, quia omnium consensu facile probantur, hic non attinet plura persequi. Plus difficultatis habere videtur, si accuratius iam definire cupiamus, quae sit ista huius proprii, quod Christo vindicatur, nominis eximia notio? Eam nostris quidem doctoribus plerisque omnibus receptum est, in *summa τῆς λογῆς diuinitate, cum eo a Patre Deo aeterno actu communicata*, ponere. A qua sententia vtut nostra mens non omnino aliena est, solertiore tamen locorum, in primis Noui Instrumenti, ad hanc disputationem pertinentium, exploratione instituta, arbitramur, discrimen aliquod significationis in huius nominis usu obtinuisse, nobisque interpretatione seruandum esse. Hoc autem tale censemus, quod, Iesu in mortali circulis versante, ea formula ad *Messiae* qua regis prouinciam collaudandam comparata fuerit, pleniorum eiusdem sensum Christi discipuli deinde ex ampliore spiritus sancti institutione hauserint, eum, quem ante expressimus. Quod vtrumque hac scriptione Vobis, *Ciues*, idoneis rationibus confirmare conabimur.

Spe quantumuis magna de futuro Messia Iudaei sub nouae administrationis initia se pascebant, diuinam tamen eius naturam ignorauisse eos, haud dubitamus. Contrarium euincere quidem multis allatis in medium scriptorum ἀποκρυφῶν et rabbinicorum carminibus, annisi sunt PET. ALLIX (in *Testimoniis antiquae Iudaicae ecclesiae pro diuinitate Christi*) et CHRIST. SCHOETTGENIUS (*Horarum Hebr. et Talmud.* Tomo II); nihil tamen profecisse eos, si ipsa, quibus causam suam defensum iuerunt, loca curiosius et sine partium studio expendantur, facile perspicitur; neque hic vero longius id demonstrare vacat. Messiam Deum si mente sua concepissent Iudaei tum viuentes, in tot Iesu habitis cum aduersariis suis disceptionibus,

tionibus, quas Euangelistae narrant, quaeque maximam partem ad Messiae personam diiudicandam spectabant, aliqua certe eius sententiae vestigia apparitura essent. Sed ne vnum quidem, quantacunque requirentibus nobis diligentia, in omni librorum Novi Testamenti ambitu observari potuit. Immo vero quaerenti Iesu, quid sit, quod David Messiam Dominum vocaverit? (*Pf. CX, 1.*) nihil eos responsionis dare potuisse, legimus *Matth. XXII, 43-46.*, cum puer quisque apud nos talem quaestionem sine haesitatione expediturus esset. Vnde, incognitam iis sublimiorem Messiae naturam fuisse, hoc confidentius colligimus, quia, si eius scientia polluissent, vel istis iniquissimis disputatoribus quae eam silentio dissimulandi necessitas ex calliditate sua imposita fuerit, reperitur nulla. Prostant etiam, postea excitandae, narrationes Euangelicae de hostibus Domini, postquam verba eius sic interpretati essent, quod se Deum prodiderit, hoc ei crimini *βλασφημίας* vertentibus. Quod aulos eos fuisse, putemus, si ipsi Messiam, quem hominem futurum esse, profecto non negabant, eundem quoque Deum expectassent? Fronte simul ac corde homines caruisse oporteret, qui adeo sententiis a se iudiciisque ipsi discreparent.

Hanc vero magnam popularis Iudaicae theologiae lacunam Iesum doctorem intactam haud reliquisse, immo sarcinae ei omnem institutione operam dedisse, coniectura apud quemque facile existere possit. Neque omnino levis ea, vel testimoniorum auctoritate prorsus destituta est. Certe praeter humanam sibi aliquam excellentiorem naturam inesse, aperte docuit, dum, se ante Abrahamum fuisse, quodque Iohannes praecursor de eo iam testatus erat, de coelo se esse, indeque in terram venisse, affirmavit. Non diffitemur etiam, quod, divinam ipsam esse hanc suam praestantioris naturam, e longinquo quasi modis variis ostenderit se audientibus. Primi generis loca, quantum necesse est, alia data opportunitate a nobis illustrata sunt; alterius specimina paullo post allegabimus. Sed *diserte*, verbisque ad hunc sensum clare satis definitis, se vel populo, vel discipulis Deum professum esse, loco nullo ab Euangelistis relatum legimus. Quem *Ioh. V, 23.* tribui sibi aequae, ac Patri vult, honor non in eo ponendus est, ut *ἀμοσίας* Patri

Patri Deus habeatur, sed ut doctrinam ipsius verissimam censeant et fide obsequioque apud se admittant, resque ab eo actas quascunque culpa carere, homines iudicent, ut Deus ipse nil, nisi verum hominibus tradere, et quaevis rectissime agere summo merito putatur. Descripsit in hoc enim clavis verbis suam non Dei, sed legati divini summam auctoritatem, quam qui spernat, iure addidit, eum et ipsius Dei, a quo sibi concessa haec ad homines potestas sit, numen spernere. Cf. I Cor. XIV, 37. et I Thess. IV, 8. Verba certe ipsa hunc sensum facile ferunt, si modo nolimus illud *κατος* pueriliter premere ad eliciendam inde metaphysicae identitatis notionem. Neque contexta orationis series, quae tota refertur ad criminationem violati a Iesu sabbati comm. 15. 16., plus aliquid requirit, quam, in hac parte responsionis Domini contineri, diximus. Patrem quoque dum illa dicit, declarans Iesus *τον πεμφαντα αυτον, qui se miserit*, nisi otiosa haec verba esse, opinemur, iis veram huius sibi debiti cultus rationem indigitasse dicendus erit. Eam autem quisque talem esse videt, quae ad muneris sibi commissi, non naturae suae intimae designationem pertinet; certe naturae vim expressam haberemus, si dictum legeretur *τον γεννησαντα αυτον*, vel simile quid. Quae omnia, ni fallimur, plane condocent, cultum, quem segm. 23. sibi deposcit Iesus, eundem esse, quem mox v. 24. ad *assensum doctrinae suae ob legationem ipsius divinae praebendum* trahi videmus. Nihilo felicius procedit divinitatis Christi demonstratio, quae ex dicto eius: *ego et Pater unum sumus*, Ioh. X, 33, duci solet. His verbis ille rationem affert, ob quam, quod ante dixerat v. 32., ones suae sub patris tutela sint. Quam rationem a voluntatum ac studiorum inter Deum eiusque legatum consensione ultro quemque repetere ipsa res iubet; et istam vero unitatem moralem eodem loquendi genere descriptam inuenimus Ioh. XVII, 21. 22: quid est, quod, nostro loco sententiam aliam, vel graviores dictioni subesse, suspicemur? Plura, quae ad eandem causam interpretes vulgo traducunt, sermonum Christi carmina omittimus, sunt enim minus etiam speciosa, quam ista duo, quae dilucidavimus. — Iesus verus, a Deo missus, propheta; idem Messias; idemque persona divina. Haec tria de ipso Iesu Christo homines edocendi erant. Sed tradi iis tertium sine offensione, nedum vero



cum fructu, non potuit ante, quam duo illa priora recte percepissent. Itaque Iesus in terra agens, ipse sapientissimus hominum magister, primum modo caput et alterum diligentius tractavit, hisque suam disciplinam, qua ad informandas audientibus de se ipso rectas notiones spectantem, continuuit, siquidem de primo adeo illo Iudaeorum doctores ac magnates repugnare non desinuerent, qui autem istud admiserant, ipsi discipuli eius, etsi iam quidem Messiam eum agnoscerent etiam, ex notione tamen Iudaica terrenum, a qua opinacione abduci se usque ad mortem eius inque coelos abitum non patiebantur, *Luc. XXIV, 21. coll. XXII, 24. sqq. Act. I, 6.* Tertium reliquit τῷ ἄλλῳ παρακλητῷ, Spiritui sancto, quem post se venturum, apostolosque reliqua omnia, a se nondum exposita, quia capere haec tum non poterant, edoctrum promiserat, *Ioh. XIV, 16. XVI, 12. 13.* Istis vero non paucis scriptoribus si fidem habeamus, qui quaeque religionis christianae dogmata, ex Iohannis Paulli praeceptione Θεοπνευστῶ nobis quidem satis liquida, Christi sermonibus iam ad viuum explanata volunt, verendum utique est, ut aliquid superfuerit, quod doctrinis Iesu a spiritu addi posset, utque adeo ipsa Christi verba, quae excitauimus, satis vera fuerint.

His adhuc expositis consequens est, ut, quando *filii dei* elogium in Messiam siue a Iudaeis, Iesu infensis, siue ab eius discipulis collatum esse in Euangelis. legitur, ex eorum hominum mente id de diuina Messiae natura non satis recte intelligatur. Ignoram enim iis hanc, quod demonstraui, profiteri non poterant. Fuerit igitur alia huius appellationis vis ac ratio, necesse est, quae iam explicanda venit.

Erat autem ista, quantum intelligimus, haec, ut accurate idem valeret *filii Dei*, quod *Messiae* nomen, essetque altera appellatio alteri perfecte συνωνυμος. Itaque ut, Messiae vocabulum regem denotasse, inter omnes constat, ita eidem regio muneri, ῥητορικότεως quidem, designando inferuissse filii Dei elogium, nobis persuasum est. Nimirum qui cum imperio sunt, Hebraeorum sermone *deos* dici ac *dei filios*, h. e. similiores dei potentia, qua valent, digna-

dignatione et maiestate, testatum legimus *Ps. LXXXII, 6.*, quem ipsum locum notabile admodum est, Iesum etiam ad diluendam cauillationem, quae facta ei ex huius nominis sibi sumto honore erat, conuertisse, narrante Iohanne cap. X, 34. 35. Utque hunc in primis summum regem, cuius multo tum desiderio ferebantur Iudaei, quemque omnes ex Dauidis familia oriendum fatebantur, eo titulo condecorarent, mouere eos potuit quoque vox illa promittentis Dei *2 Sam. VII, 14.*, se regi ex hac stirpe aeternum regnatura (*v. 13. coll. Ps. LXXXIX, 5. 30. 37. 38. Hebr. I. 5*) instar patris, eum sibi pro filio futurum esse. Videmus iam, quibus de causis sermoni Iudaeorum non male conuenerit, Messiam filiumque Dei in sententiam dicere vnam eandemque.

Atqui ipsa re hunc nominis usum tum temporis apud eos obtinuisse, argumenta, quibus iunctim consideratis vinci possit, haec nobis in Euangeliorum tabulis occurrunt. 1) manifesta *ἐξερπαιτίας* ratio in saepius redeunte compositione verborum; *Christus* (s. Messias, rex Iudaeorum, haec enim tria idem dicunt) *filius Dei*, sine interposito *ναί*, vel alia particula, quae, vnam dictionem ab altera necessario seiungendam significatione esse, monstraret, *Matth. XVI, 16. XXVI, 63. Marc. XIV, 61. Luc. IV, 41. Ioh. I, 50. VI, 69. XI, 27.* 2) alterius formulae cum altera permutatio, *Luc. XXII, 67. coll. 70. et XXIII, 2. 3. Matth. XXVII, 40. 43. coll. Luc. XXIII, 35.* 3) alterutrius omissio, iis locis facta, quibus ea utique commemoranda iuxta alteram fuisset, si singularem sibi additam potestatem haberet, *Marc. VIII, 29. et Luc. IX, 20. coll. Matth. XVI, 16.* Omittunt enim priores illi mentionem filii Dei, quam etiam hic habet; par autem erat, hanc insignem Petri professionem, cui tantum pretium Iesus dominus ipse statuisset narratur, integram, qua res certe, referri. Simile est, quod hos, qui eum Christum, dei filium pronuntiauerant, Iesus nil, nisi quod, se *Christum* esse, sciant, ad alios vulgare, vetat *Luc. IV, 41. Matth. XVI, 20. coll. 16.* Quibus argumentis, optandum quidem, addi posset par eiusdem elogii usus, in libris vel talmudicis ac rabbinicis, vel chaldaicis et syriacis conspiciendus. Huius autem exempla licet nondum cognita nobis sint, eorum defectus tamen ductae ex iustis rationibus aliis demonstrationi non magis robur de-

tra-

trahet suum, quam appellationi *filii hominis* rite vindicata ex *Ioh. XII, 34.* coll. *Dan. VII, 13.* eadem Messiae notio ob similem defectum cadere possit.

A recepta autem loquendi consuetudine cum neque Deo, quando humano more ad homines verba facit, recedere liceat, ad eandem remocare, eaque aestimare debemus etiam diuiniore voces, quibus illa aetate Iesus Dei filius praedicatus fuit, quales erant angeli, *Luc. I, 32. 35.* ipse Dei, *Matth. III, 17. XVII, 5. Ioh. I, 34.* et Iesu propria, in sermonibus domini, maxime ab Iohanne narratis, quando de se ipse aliquid proficitur, late regnans. Sed de hoc genere quoque colligere lubet specialiora quaedam, quibus nostra interpretatio adiuuari ac commendari magis possit. In primo, quem allegauimus, loco reliquis omnibus segmenti non solum huius, sed etiam 33ⁱⁱ verbis illustrissimam regis imaginem informari, nemo non sponte animaduertit. Cui quid aptius esse possit? quam ut ea, quae praecedunt: *ὁ υἱὸς ὁ ψ158 κληθήσεται* (h. e. *ἐσεται* ex hebr. *יקרא*), secundum usum loquendi, tum minime dubium, quem ante ostendimus, explicentur: *hic Messias erit.* Eandem autem formulam mox repetitam v. 35. eodem sensu sumi iterum, per se iam probabile cuique videri possit; et sic vero habebimus forte etiam horum posteriorum commatis verborum cum prioribus eiusdem, nil nisi supernaturalem humanitatis Iesu ortum declarantibus, interstitis particulis *διο και*, cohaerentiam commodiorem iustioreque, quam quaeque alia, ab interpretibus tentata ratio ista membra inter se copulandi esse solet. Qualis nempe ex consilii diuini destinatione Messias esse debebat, vindex humani generis a peccatorum culpa, decebat ipsum eum omni culpa carere, *Hebr. VII, 26. 27.* Ordinaria autem nascendi via cum quisque homo infaustam iam contrahat peccandi necessitatem aliquam, ab ista Iesum immunem praestiturus Deus extraordinarium hunc ei ortum concessit, ut sine patre homine, superueniente Mariam spiritu s., et inuadente ipsam virtute diuina praepotente, conciperetur; propterea adeo etiam dignus iudicandus, qui Messiae prouinciam gerat. Ex voce porro, coelitus super Iesum, baptismo mersum, missa, hunc se Messiam agnouisse, profitens Iohannes praecursor, *Ioh. I, 29-34.*, significat

tionis

tionis conuenientiam inter τον ἀρνουν τῆ Θεῆ κα. τ. λ. et τον υἱον τῆ Θεῆ
admittit. Cum quo oraculo, in monte, iterum sonante, si in eo υἱος τῆ
Θεῆ Messias sit, cuius erat, praecepta hominibus dare, verba, quae se-
quuntur: αὐτῆ ἀκητε, ex Deut. XVIII, 15. 19. secundum Alexandri-
nos interpretes sumta, continuationem habebunt eo liquidiorē. De Ie-
su autem ipsius sermonibus, ut iam taceamus, quod ex ante allatis Euan-
geliorum locis perspicitur, rogatum a senatu hierosolymitano, an filius
Dei sit, sensu certe huius formulae eo, qui solemnīs Iudaeis istius aetui
erat, in hoc consensisse respondendo, sicque igitur, tamquam ipsam
formulam responsione repeteret, eandem ei sententiam tribuisse,
duo tantum addamus specimina alia, quorum ad rem nostram non
minus luculenta vis est. Hominem, qui coecus a teneris inde fue-
rat, a Iesu autem sanatus, eum verum, a deo missum, doctorem
iam laudauerat, Ioh. IX, 30-33. ipse his alloquitur verbis: *credisne
in filium Dei?* Reponenti illi, quis iste dei filius sit? ait, *qui te-
cum loquor, ego sum* v. 35-37. In quo, crediderimus oppido, domi-
num hunc hominem, se Messiam venerari, iussisse, quem alterum
rectae de eo humanae scientiae gradum fuisse, supra nobis iam est
obseruatum. Postea reus actus impietatis in Deum summae hanc
ipsam ob causam, quod se Dei filium perhibuerat, iure sibi hunc ti-
tulū deberi, propterea dicit Ioh. X, 36., quia is sit, *ὃν ὁ πατήρ
ἡγίασε καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον*, h. e. quem Deus sanctissimis
suis ministeriis inter homines obeundis destinauerit, hacque volun-
tate mundo concesserit. En circumscriptionem formulae: filius
dei, a muneris, quo dominus fungeretur, modo clare repetitam.
Neque in ea verbum ἡγίασε fortuito est usurpatum, sed secundum
consuetudinem loquendi, genti Iudaicae tum familiarem, ut Messiae
notionem his exprimerent etiam: *ὁ ἅγιος τῆ Θεῆ*, Marc. I, 24. Luc.
IV, 34. *ὁ τῆ Θεῆ ἐκλεκτός* Luc. XXIII, 35; sancti autem et delecti
vocabula in nouo Testam. significatione inter se saepissime conueni-
re, nemo ignorat.

Atque haec de vulgata illo tempore nominis filii dei notio-
ne dicta sufficiant. Eam maxime ipsum Dominum de se dicendo
secutum esse, hancque solam intellexisse et addictos ei discipulos,
et studiis ab eo auersos Iudaeos, allatis, si iustae sint, rationibus
effectum dedimus. A qua sententia, nihil profecto est, quod nos re-

B

uocet

uocet Iudaeorum procacitas, Iesu verba, quibus deum sibi patrem praecipua quadam vi vindicauerat (neque enim hoc aliud quid erat, quam se excellentiore intellectu filium dei ferre) eo bis interpretantium, quod sic loquendo se Deo parem faciat, *Ioh. V, 18. coll. 17.* seque ipse deum gerat, *cap. X. 33. coll. 30 et 36.* (ex quo, ut in transeursu id moneamus, alterius loci contextu patet, non ab eo, quod Iesus, se cum patre *unum esse*, dixerat, ut plerisque nostris interpretibus videtur quidem, sed quod deum sibi *patrem* tribuerat, hanc ei obiurgationem ductam fuisse). Immo in hac litigatione Iudaei affectato nouae interpretationis artificio, deferunt eam dictionis notionem, quam ipsorum adeo usu maxime consuetam fuisse, testimoniis minime contemnendis demonstrauimus. Ita nempe faciunt iniquitatis suae in Dominum libidine, ansam captantes, illi diram eorum opinione *βλασφημίαν* exprobrandi, quam infinitis populi iris non carituram esse, sperabant. Culus malignitatis dicta Iesu in alium, quam ipsi facile assequerentur, sensum detorquendi, plura ab iis edita exempla in Euangeliiis commemorata leguntur; et huius infausae artis beneficio ei capitale etiam supplicium conflare istos studuisse, relatum est *Luc. XXIII, 2. Ioh. XIX, 12.* Quid miremur, si dispares sibi non fuerunt, de titulo filii dei Domino litem mouentes? Neutro quidem illo loco refert Iohannes, Iesum hanc, quam proterue factam diximus, verborum suorum declarationem detrectasse, vel reprehendisse; quod cauebimus tamen, ne pro consensu temere accipiamus, neque enim tacendo consensisse nobis videbitur, quando alia ab eo dicta friuole peruertere ausi sunt, v. c. *Ioh. II, 20. VIII, 52. Matth. XXVII, 14.* Causam autem Iesus illis sic interpretantibus non apertius repugnandi hanc sat grauem habuit, quod, qualem aduersarii praepostere iactabant eum se hac appellatione venditasse, Deo parem, Deum ipsum, talem se utique esse, suo iudicio intimo probe nosset: quod etsi de se diserte profiteri nondum consultum arbitraretur, abnegare tamen neque potuit, neque voluit videri unquam.

Immota igitur manent, quae de hoc filii dei elogio, ab ipso etiam Iesu secundum popularem tum linguae consuetudinem usurpato, ante monuimus. Non obstant vero haec, quin potuerit dominus tamen sublimioris sensus, eidem elogio subiiciendi, vestigia quae-



quaedam suis sermonibus imprimere, nobis hodie haud difficulter cognoscenda. Atque ea etiam operae pretium erit recensere, neque ab hoc loco alienum. Tale igitur hoc reputamus primum, quod de Deo loquens dominus eum *patrem suum*, *patrem* simpliciter, tamquam ordinario suo nomine appellet, *Ioh. V.* et sequentibus plerisque capitibus fere integris. Etsi enimvero, qui regia dignitate censebantur, hos dei filios vocare solemne esset, inde tamen non fit, ut his ipsis licuerit, quoties Dei mentionem iniicere vellent, eum absolute patrem, vel patrem suum dicere, in subiecto, quod aiunt, etiam. Quare quod Iesus hoc sibi sumsit, suspicari audemus, in eo respexisse eum rationem aliquam, Deo secum intercedentem, aliquanto augustiorem quoque, quam ob solum Messiae munus locum habiturum inter utrumque fuisset. Deinde consideremus summi amoris Dei erga homines demonstrationem, quam Iesus *Ioh. III, 16.* ex eo ducit, quod vel filium suum unicum pro iis morti deuoverit. Nempe, si sub ista filii appellatione nil, nisi Messiae munus declaratum velimus, parum commode fluxerit ea oratio. Quid enim? si regefferit aliquis: id vero non admodum mirandum, siquidem Messiae personam tuiturus non esset, qui mortem pro humano genere non oppeteret? Manifestum Dei amorem in his habemus: 1) quod collapsarum rerum nostrarum omnino vindicem aliquem et instauratorem nobis concesserit; eumque 2) hunc, qui proxima adeo filii cognatione ipsi coniunctus esset, *Rom. VIII, 32.* Quod alterum propitiae erga genus nostrum diuinae voluntatis documentum praedicans Iesus reputandus utique est, isto vnici filii elogio altius quoddam, quam ipsius muneris, quod gerendum Messiae erat, fastigium designare voluisse. Illis etiam de institutione baptismatis *Matth. XXVIII, 19.* minus accommodata est filii, qua Messiae, conuenientissima eius, qua personae diuinae, notio, quo sensu in iisdem Patrem quoque et Spiritum s. laudari, satis scimus. Illa denique domini quaestio: cuius filius sit Christus? *Matth. XXII, 42.*, eo indubie tendens, ut responsio ferretur, Dei filium esse, id nominis Messiam explicari, nequaquam permittit, nisi inepte quis opinetur, quod in subiecto iam positum erat, idem ei in praedicato tribuendum fuisse. Diuinitatis autem elogium hoc oportunius consilio Iesu quaerentis fuisset, cum ipse *comm. 43-45.* ad Psalmi locum



prouocet, quo verum diuinae futuri Messiae naturae testimonium contineri, dubium non est. Sed ista omnia, quae attulimus, et si qua forte alia iis addi possint, hominibus, tum ea audientibus, profecto non satis clara erant, ut sic ea intelligere valerent, ac nobis quidem datum est. Neque enim id poterant sine variae argumentationis et nectendae consecutionis subtilitate, cui nescimus, an vires eorum, rudium maximam partem hominum, pares fuerint. Et si per has transfennas nonnullis apparuisset tenuis aliqua diuinitatis Domini lux, putauerimus tamen, qui inter eos veritatis studiosissimi essent, et Iesu adeo prae reliquis fauerent, vix ausuros fuisse, ut, sic se veram verborum eius mentem consecutos esse, considerent, sed maluisse siue quamcunque aliam possent, eorum interpretationem admittere, siue iudicio super his nullo uti. Quid enim vel ipsi cogitatione effingere possemus, cuique ad credendum difficilius, quam hoc, Deum esse eum, quem hominem suis oculis cernat? Itaque, talem se professum esse Dominum, qui optime in eum animati erant, sibi vix persuadere potuerunt, donec disertiora rei testimonia iis proponerentur. Quid? quod coeutiuisse eos in *clarissima* suppliciorum Iesu praedictione, relatum legimus, tantum enim etiam opinionum suarum praeiudiciis adhuc tribuebant, *Luc. XVIII, 34.*; et vero abstrusam hanc reconditamque de diuinitate eius doctrinam ex tanto *remotioribus* huius, quae ipse praebuit, indiciis illos consecutos esse, veri autem simile? Quod Thomas Iesum, suum *Domino* laudaret, *Ioh. XX, 28.*, eo facere sensu potuit, quo Moses Aharonis et Pharaonis *Deus* dictus est, *Exod. IV, 16. VII, 1.* Rerum vero omnium scientiam, qua Dominum pollere fatentur *Ioh. XVI, 30. XXI, 17.* nihil obstat, eos ab vberima, quae ei obtigerat, diuinae reuelationis copia (*Ioh. III, 34.*) repetiisse. Sed hic abrumpere commentationis filum nos cogunt spatii angustiae.

Vobis certe, *DILECTI CIVES*, satis nos scripsisse, arbitramur, commonefaciendis, quodnam cogitationum ac studiorum genus his, quos viuistis, festis diebus Vos maxime sequi par sit. Totos Vos ad hoc date, ut summorum, quibus Deus humanum genus per Filium suum, concessum ei diuinum seruatorem, affecit, beneficiorum cumulum grata recolatis memoria. Curam vero omnem adhibete etiam, ut saluberrimos diuinae illius procurationis fructus ad Vos traducatis. Itaque nihil omittite ad hoc subsidiorum, quae publicae huius sacri religionis Vobis offerunt, harumque ministris gratos Vos re et factis praestate.

P. P. Fer. I. Nati. Christi *clolcccclxxvi.*

(L. S.)

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS
THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE, COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVEN-
STEINII, REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS



Quam superiore programme ostendimus nomini *fili*
Dei subiectam olim fuisse potestatem inunus at-
que dignitatem *Messiae* designandi, eam in ista
appellatione, cum res adeo clara sit, viros doctos
iam dudum obseruasse, facile quisque suspicetur.
En igitur eorum, quotquot cognoscere ex hoc
genere nobis quidem licuit, breuem contextum
indicem. Agmen ducat, qui vel in polemicis eo nomine male au-
dire solebat, HERRM. ALEX. ROELLEVS, quo cum agitas super hoc
capite controuersias late recensuit b. i. G. WALCHIVS (in *Certamm.*
de religione, quae extra Eccles. Luther. contigerunt, Part. III. p. 866.
sq.). Huic adiungendi proxime sunt HVG. GROTIVS ad *Matth.*
XIV, 33., et alibi saepius in annotationibus ad N. T., SIM. EPISCO-
PIVS ad *Matth.* l. c. Opp. T. I. p. 89. a., et ad eiusdem cap. XVI, 16.
p. 96. a., nec non p. 133. b., T. II. p. 335. 338., PHIL. A LIM-
BORCH